

2 datusque utilia honestis miscere. brevi deinde Britannia  
 consularem Petilium Cerialem accepit. habuerunt virtutes  
 spatum exemplorum, sed primo Cerialis labores modo et  
 discrimina, mox et gloriam communicabat : saepe parti exer-  
 citus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu 5  
 3 praefecit. nec Agricola umquam in suam famam gestis  
 exultavit ; ad auctorem ac ducem ut minister fortunam  
 referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia in praedi-  
 cando extra invidiam nec extra gloriam erat.

9 Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter 10  
 patricios adscivit ; ac deinde provinciae Aquitaniae pree-  
 posuit, splendidae in primis dignitatis administratione ac spe  
 2 consulatus, cui destinarat. credunt plerique militaribus in-  
 geniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura  
 et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exer- 15  
 ceat : Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos,  
 3 facile iusteque agebat. iam vero tempora curarum remissio-  
 numque divisa : ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis  
 intentus, severus et saepius misericors : ubi officio satis  
 factum, nulla ultra potestatis persona [; tristitiam et adrogan- 20  
 4 tiam et avaritiam exuerat]. nec illi, quod est rarissimum,  
 aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit.  
 integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria  
 5 virtutum fuerit. ne famam quidem, cui saepe etiam boni  
 indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit : procul 25  
 ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione ad-  
 versus procuratores, et vincere inglorium et atteri sordidum  
 6 arbitrabatur. minus triennium in ea legatione detentus ac  
 statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione